



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Martini Martinii Tridentini E Societate Jesu Sinicae  
Historiae Decas Prima**

**Martini, Martino**

**Monachii, 1658**

Decimusseptimus Imperator Hoeius. Imperavit annis XXV.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11848**

DECIMUSSEPTIMUS IMPERATOR  
H O E I U S.

Imperavit annis XXV.

**H**O E I U S LII filius traditum ab eo imperium sex annis tenuit in Cycle 34. anno 42. ante Christum 676. otio; cum TIE, gens in XANSI provinciā, quā Boream spe-  
ctat, habitans, ubi nunc TAITUNG urbs ultra murum ma-  
gnūm, qui quidem hoc tempore nondum erat exstructus, obversa-  
TARTARIÆ, Sinas ingressi HING urbem obsident. Sed non diu-  
turna eo obsidio fuit, Imperatoris nomine arma opponente UON-  
CUNGO & hostem indevi ejiciente. Quem deinde fugientium spe-  
cie magis, quam obsidionem solventium in GUE regnum infe-  
sta signa transferentem ICUNGUS Quei rex fortiter exceptit, ob-  
viā ei procedens cum exercitu. Jamque in conspectu utraque acies  
erat, intenta in signum praelij, & rex Quei opportuniorem ad pu-  
gnandum locum occupaverat; cum ei victoriam ē manibus propè ex-  
torsit stultissima supersticio. Insederant forte suorum aliquot militum  
hastis aves; quas ut erat earum ineptissimè amans, abigere religio fuit,  
eo praelio se inde superatum iri auguranti. Omissa igitur pugnā, TIE  
exercitus recedendi occasione usus, captoque ad pugnandum loco  
commodiore, cum ICUNGO acie congressus, eo victo necatōque au-  
gurij sortem, vel elusit, vel implevit. Reliquæ exercitus filio regis  
natu majore in regem electo, ad Australē regni partem, inter CI-  
CROCEUMQUE flumina, contendunt. UONCUNGUS in omnem rei  
bene gerendæ occasionem intentus, desertas Quei oras invadit, TIE  
exercitum delet, ac ne alienas ambire terras videretur, alterum ICUNGUS  
filium regem creat, occupatis à se locis precariò impositum, vocatūm-  
que suo nomine UONCUNGUM. Ita Quei regnum in duas partes distra-  
ctum est, cuius conjunctæ vires CI regi timebantur. Qui subinde victo-  
rijs & potentia ferox Zu regi bellum indixit, & què, ut ipse erat, potentissimo. Postquam vario utrinque Marte pugnatum; tandem bello fessi  
ambo ad pacem respexere, cui conficiendæ in montem Chaolin col-  
loquium indictum. Nihil aliud sub hoc Imperatore accidit memorabile, nisi quod ipse quidem nomine Imperator, re autem verâ UON-

CUNGUS esset. Huic aderant vires, imò & animus imperij capiendi, nisi omnium aliorum regulorum in se unum timuisset arma convertere. Nam cùm eidem imminenterent omnes, altero alterius ambitioni obstante, nullus obtinuit.

## DECIMUS OCTAVUS IMPERATOR SIANGU S.

Imperavit annis XXXII.

*Cyclo 35. anno  
7. ante Christum  
flvno 651.*

**S**IANGU S HOEI o successit, jam à puero suspicione nimia penes C I regem potentiae imbutus. Postquam igitur ad gubernacula reipublicæ accessit, undique facultatem cœpit querere vel U O N CUNGUM deprimendi, vel aliorum regulorum animos sibi conciliandi, quòd imperatoriam Majestatem pristino splendori restitueret. Quam quidem ad rem ei duplicem viam fortuna patefecit.

C I rex QUONCHUNG I industriâ, beneficiarijs regulis omnibus conventum indixerat. Quem ut imperij turbandi materiam timens Imperator, quia impedire non poterat, U O N CUNGUM saltē in invidiam apud regulos adducere, velut se unā cum illis Imperatorem agnosceret, statuit efficere. Ergo ubi convenerant, mittit ad eos legatum Z A I CUNGUM virum prudentissimum cum litteris publicis, eique mandat, ut illas permittat à ceteris consueto ritu excipi, siquidem vellent; à C I autem rege, si detrectaret obsequium, nequaquam exigat. Est autem hoc apud Sinas in more positum, ut Imperatoris litteras ac diplomata non prius legant, quām ea mensæ ad hoc adorata imposita venerentur eodem honore, quo ipsum Imperatorem solent. Adeò ergo Z A I CUNGUS cum diplomatis, quæ ab omnibus solemni ritu sunt excepta; solus C I rex abnuebat obsequium. QUONCUNGUS contrà gravibus eum verbis avocans à pervicaciâ, Si rex, inquit, negligens est officij, si subditi exemplum regu sui sequentes, ut nibil pronius est, quām morbum à capite in membra descendere; nec ipsi subditorum partes expletant; omnia necesse est converti ac misceri. Coegisti regulos, quibuscum agis, ut regulus; laudo. At istud quis laudabit, quod cum Imperatoris legato agis, tanquam esses Imperator ipse? An non in mente